



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 90119231

§. 89. Aliorum Principium fata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

tamen temporis partem Religionis exercitiiis sacrabat: Eodem pietatis sensu, ut viginti Sacrorum millia post ejus obitum pro expiandis vitæ suæ noxis celebrentur, testamento caverat, & varia Legata suis Domesticis, aliisque assignaverat: gazophylacium vero suum longe celeberrimum, cujus curam Franciscus Camelus gesserat, omniumque rerum indicem concinnaverat, Azzolinus Cardinalis vendidit, ut creditoribus satisfieri posset, quapropter incassum Brandeburgicus Orator sui Electoris, Regisque Sueci nomine cimelia, gemmas, aliasque hujus generis ab eadem relictas opes repetere nitebatur. Ceterum hujus Reginæ Cadaver jussu Innocentii Pontificis erecto mausolæo prorsus Regio sepultum quiescit in Basilica Vaticana, in qua tamen præter summos Pontifices, & Mathildem Reginam hucusque nullus tumulari consuevit.

Sæc. XVII.
A. C. 1689.

§. LXXXIX.

Aliorum Principum extrema.

Hoc item anno die undecima Februarii Madriti post brevem periodum ægritudinis, quam ex nimis præservida venatione contraxerat, Maria Ludovica Hispaniarum Regina, vix vigesimum

Theatr. Europ. t. 13.

Hist. Eccles. Tom. LXV. Tt mum

Sæc. XVII.
A. C. 1689

mum ætatis annum egressa, vivis erepta est; cum autem cum Carolo Regio Marito suo sterile duxisset conjugium, hic paulopost Marianam Neoburgensem Eleonoræ Imperatricis Sororem sibi matrimonio junxit, & dotem, gemasque Aurelianensi Legato restituere coactus est. Obiit etiam Julius Franciscus Saxo Lauenburgicus Dux nullo relicto Filio, unde lites de adeunda hæreditate multæ gravesque, hunc quoque paulopost sequebatur Adolphus Joannes Comes Palatinus Rheni Bipontinus, necnon die sexta Augusti Dorothea Friderici Guilielmi Brandeburgici Electoris Vidua, & die decima quarta ejusdem Mensis Christina Carolina Daniæ Regis Filia, cujus obitum præcesserat Mariana Josepha Austriæ Archiducissa, ac Palatini Principis conjux, quæ decima quarta Aprilis mortalia explevit.

§. XC.

Variae Innocentii XI. & Alexandri VIII. Pontificum Constitutiones.

*Bullar.
magn. t. 7.*

Exiguo ante obitum tempore scilicet vigesima octava Junii die Innocentius XI. varia| adhuc edidit decreta, quibus tribunalium corruptelas tollere
sata.